



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Capvt I. Libertatem à seruitute corruptionis, propriam esse vitæ futuræ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

go, à secularium Principum vel iudicum potestati-
 bu, iurisdictionibus, tribunalibus, vectigalibus ac tri-
 butis impositis aut imponendis exemptæ sunt ac libe-
 ræ. Christiana verò libertas ab huiusmodi legibus ne-
 minem eximit seu liberum reddit. Itaque ex illis rebus
 quæ minùs instituto nostro seruire videbantur, quas-
 dam modò perstrinximus, alias ne attingimus quidem.
 Quas res interim explicatiùs cognoscere si quis desi-
 deret, integrum illi erit ex ipso auctore repetere; &
 quod nobis deesse putauerit, inde supplere. Nos ad id
 quod reliquum est, quodque adhuc deesse ipsi cen-
 semus, properabimus.

CAPVT I.

*Libertatem à seruitute corruptionis, propriam esse
 vitæ futuræ.*

SVPEREST autem tractanda libertas à seruitute
 corruptionis & mortis: seu, vt breuiùs loquitur
 Bernardus, Libertas à miseria. quam hîc nondum ha-
 bere nos cùm abudè rebus ipsis comprobetur, super-
 uacaneum est, id verbis velle demòstrare. In hoc sanè
 ingemiscimus, habitationem nostrâ quæ de cælo est,
 superindui cupientes (ait sanctus Apostolus) si tamen
 vestiti & non nudi inueniamur. Nam & qui sumus in
 hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati: eo quòd no-
 limus expoliari, sed superuestiri: vt absorbeat quod
 mortale est à vita, in sitq. resuscitatis corporibus nulli
 vanitati subiecta libertas. Atque ob id quidem spiri-
 tus pignus accepimus, vt hanc quoque per Christum
 libertatem securam esse in illa nostri perfectæ rege-
 natione minimè dubitemus. Si enim Spiritus eius
 qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in nobis: qui
 suscitauit Iesum Christum, viuificabit & mortalia
 corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum eius in
 nobis:

*Philip. 3.
Vide Gregor.
lib. 4. Moralium
cap 41.*

Philip. 1.

1. Cor. 15.

Michea 7.

nobis: & reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis eius. Tunc igitur creatura illa nobilis, quæ hîc nolens mutabilitatis suæ corruptioni seruit, eripietur è corruptionis seruitute, cum ad filiorum Dei gloriam incorrupta resurgendo subuehatur. Hîc enim tanti sper electi Dei, molestia vinciti sunt, quòd adhuc corruptionis suæ pœna deprimantur. at cum exuentur corruptibili carne, quasi ab his quibus nunc adstringuntur molestiæ vinculis relaxabuntur. Præsenti namque iam Deo cupiunt, sed adhuc mortalis corporis obligatione præpediuntur. Iure ergo vinciti, quòd adhuc incessum desiderij sui ad Deum, liberum non habent. Ideoq. Paulus ipse æterna desiderans, sed tamen adhuc corruptionis suæ sarcinam portans, vincitus clamat: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Vbi verò mortale hoc induerit immortalitatē, fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua, qua videlicet hîc omnes sic viceras, vt etiam Dei Filius tecum confligaret? Vbi mors stimulus tuus? stimulus autem mortis, peccatum est, virtusq. peccati Lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum: qui & homo fuit, vt gustare mortem; & simul Deus verus, vt eam vincere posset. Huius proinde confisa præsidii, audet credentium societas dicere: Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi, consurgam cum sedero in tenebris. Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quia peccaui ei: donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum. Educat me in lucem. Videbo iustitiam eius. Et aspiciet inimica mea, & operietur confusione, quæ dicit ad me: Vbi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam: nunc erit in conculcationem vt lutum platearum.

CAPVT